

Heinrich Rahn Bernhard Faul

Disputatio Iuridica De Rei Vindicatione

Rostochii: Kilius, 1640

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn766233243>

Druck Freier  Zugang






Ja - 1143 1-58.
Z 16.7

Universitäts-
Bibliothek
Rostock

42.18



DISPUTATIO JURIDICA
DE
REI VIN-
DICATIONE,

Quam

FAVENTE DEO,

Autoritate & Consensu Magnifici
& Nobilissimi Ictorum Collegij in
Alma Rosarum Academia,

PRÆSIDE

VIRO CONSULTISSIMO, CLARISSIMO,
DN. HENRICO Rabnen/J. U.D.
& P. P. Præceptore ac Promotore
suo colendo,

Publicè examinandam proponit
BERNHARDUS FAUL, Rostoch.

*In Auditorio majori horis matutinis ad
diem 15. Augusti.*

XXXXXXXXXXXXXXXXXXXX

ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.
ANNO M.DC. XL.

DISPUTATIO JURIDICA

DE

REI VINI
DICATIONE.

Quam

FAVENTE DEO.

Auctoritate & Consensu Magnifici

& Nobilissimi

Universitäts-
Bibliothek
Rostock

viro Consuetudinario, Jurisprae-

DI. HENRICO ROHMANNI, D.D.

& P. Rectoris P. Rostoc.

in

BERNHARDO S. S. S. S.

In Aedibus Magnificae Universitatis

Rostoc.

MDCCCLXXII.

THEOPHILUS

PHYSICUS



THESIS I.

REi vindicatio à vindicando, liberando & asserendo rem de jure possessoris dicitur *A. Gell. lib. 20. Noct. Attic. cap. 10.* Estq; actio civilis ad rem singularem nostram corporalem, à possessore repetendam comparata, *S. 1. U 3. l. de act. l. 25. pr. de ob. U act.*

II.

Dividitur hæc actio in Civilem, & Prætoriam. Illa directa, hæc utilis rei vindicatio à Dd. appellari solet. Nos Civilem considerabimus.

III.

Hujus causa efficiens est jus Civile, & leges XII. tab. ex quibus ortum traxit, testante Gellio loco citato. In hac autem actione hæc consideranda veniunt, cui competat, & adversus quem, qua de re, quomodo, & in quem finem moveatur, quid efficiat, quibus cum cognationem habeat, & quæ ipsi adversentur.

IV.

Competit hæc actio ei, & hæredibus ejus, *l. 50. §. 1. ff. b. r.* qui vel jure gentium, vel jure civili dominium acquisivit, *l. in rem 23. ff. eod.* etiam ei, qui non perfectè dominus est, e. g. ei, à quo dominium abire speratur, si scilicet conditio legati, vel libertatis extiterit, *l. non ideo 66. eod.* Marito rem in dotem datam vindicanti *l. 11. C. de jure dot. l. 9. C. b. r.* Ei cui res in diem addicta est *l. 41. in princ. ff. b. r. l. 4. §. 3. de in diem add.*

V.

Adversus illos intenditur, qui nobis nullo jure obligati sunt, sed rem nostram, de quâ agitur, possident, *S. 1. Inst. de act. aut*

alio modo detinent, l. 2. ff. commod. l. 9. in fin. hoc t. aut dolo ante litem contestatam possidere desierunt l. fin. a. 27. §. 3. ff. b. t. l. 131. l. 150. de R. Jur. adversus illum, qui sese obtulit vindicationi, per mendacium dicens se possidere, sive hoc correxerit ante litem contestatam, l. is qui. 25. §. 1. seq. ff. b. t. sive non, si interea verus possessor usuceperit, nihilominus damnari debet is qui mentitus est d. l. 27. prin. ff. eod. l. nec ullam. 13. §. non solum. ff. de hered. per. Datur etiam in hæredem, si rem litigiosam possidet, vel lis contestata sit cum defuncto, l. 42. l. 51. §. 5. ff. b. t.

V I.

Materia, quæ in hanc actionem cadit, sunt omnes res corporales, §. 1. I. de act. quæ in hominum commercio versari possunt, (sacræ namq; res quamvis ab Episcopo vindicari possint l. 21. C. de SS. Eccl. tamé quasi nostræ hac actione non petuntur l. in rem. 23. §. 1. ff. b. t.) tam mobiles quam immobiles, animatæ, vel inanimatæ l. 1. §. 1. ff. b. t. neq; solum res singulæ, sed & grex, armentum, & equitium, &c. vindicari possunt d. l. 1. §. 3. b. t.

V I I.

Omnia autem corpora, quæ sub hac veniunt actione, in tria deduci possunt genera: alia namq; ex capitibus inter se distantibus §. si grex. 18. Inst. de legat. uni tamen nomini subjectis constant; ut grex, armentum, eaq; dicuntur hoc loco res universæ. Alia ex partibus uno spiritu conjunctis, qualia sunt, homo, arbor, lapis, & bruta animalia seorsim sumpta. Alia ex partibus contingentibus, h. e. pluribus inter se coherentibus: ut, domus, navis, currus, l. rerum mixtura. 30. ff. de usurp. & usuc.

V I I I.

Primî generis corpus, si diversorum dominorum capita sub se contineat, unicuiq; sua pars integra manet, ejusq; sive certæ, sive incertæ vindicationem habet, l. 1. §. 3. l. 2. §. 3. in princ. l. 23. §. 5. vers. at in his. ff. b. t.

V I X.

Secundî generis corpus aut naturâ productum est, & cohæret, ut homo, pecus &c. aut artificio, ut statua: Illud quisquis pro sua parte vindicat, l. Qua de tota. 76 §. 1. l. 3. §. ult. b. t. Hoc vel

7
vel resolvi & separari potest; ut corpus per applumbaturam copu-
latum: vel non potest, si scilicet ferruminatione conjunctum
sit. De eo, quod seungi potest, prodita est actio ad exhibendum, de
eo vero, quod non potest, neq; ad exhibendum actio, neq; vindica-
tio, sed in factum actio. *d. l. 23. §. 5. h. t. l. 6. ad Exhib.*

X.

Tertij generis corpus quod compagine cohæret, nihil planè à
precedenti recedit. Siquidem tignum alienis ædibus junctum nec
vindicare potest, propter l. xii. tab. neq; eo nomine ad exhibendum
agi, nisi adversus eum, qui sciens alienum tignum junxit æ-
dibus, sed est actio antiqua de tigno juncto, quæ in duplum ex l.
XII. tab. descendit. *d. l. 23. §. 6. & d. l. 6. Ad Exhib.*

XI.

Forma quæ olim in usu fuerit, ex *A. Geß. l. XX. cap. 10. Noct.
Attie.* peti potest; nos eam, cum hodiè de consuetudine inumbrata sit,
tot. tit. C. de form. & Impetrat. sub. tanquam alienam ab hâc ma-
teria, relinquimus, & quid hodiè obtineat amplectimur.

XII.

Oportet igitur illum, qui intendit hanc actionem, rei probare
dominium *l. 9. h. t. l. 2. C. de prob.* eamq; designare, & utrum to-
tam, an partem, & quotam petat, *l. 6. ff. h. t.* demonstrare, sibiq; ut
eâ cum omni causa *l. 13. l. Julianus 17. §. 1. l. præterea 20. l. si na-
vii 62. h. t.* restituatur, petere.

XIII.

Quod dominij probationem attinet, difficilis ea est, unde Publi-
ciana rei vindicationi in libello adijci solet *cap. Abbate. 3. ibiq. gl. de
sen. & re jud. in sexto. Wesemb. in no. 2. h. n. 6.* Nec enim sufficit
probatse petitem, quo modo acquisiverit dominium, puta
per traditionem, usucapionem, aditionem hereditatis, sed etiam
causam seu titulum idoneum, veluti emptionis, donationis dotis,
hereditatis, testamentariæ, vel legitimæ ostendere convenit, *l. cum
res. 12. l. sive. 16. C. de probat. l. penult. C. h. t. jun. l. 31. de ac. rer.
dom.*

XIV.

Hic queritur, an actori etiam incumbat probare eum, à quo

A 3

rem

rem acceperit, dominum fuisse, nos negantium partes defendendas
fulcipimus, per allegat. *l. 12. C. de probat.*

XV.

Probatur porrò dominium per testes, instrumenta, certa
indicia, quæ in jure non rejiciuntur, *l. 10. in fin. l. 19. C. h. t.* Sed quia
in hujusmodi rebus non semper testes & instrumenta interveniunt,
idcirco, autor est Gajus, ut animadvertere debeat is, qui destinavit
rem petere, an aliquo interdicto possit nancisci possessionem: quia
longe commodius est ipsum possidere, & adversarium ad onera pe-
titoris compellere, quam alio possidente petere, *l. u qui. 24. ff. b. t.*

XVI.

Hactenus de probatione, sequitur designatio, & demonstra-
tio: certa namq; res esse debet, ut intelligi possit, quidnam petat
actor. Alio autem modo designantur res mobiles, alio item modo
res immobiles: in rebus mobilibus designandis alia rursus ratio
habenda est rerum se moventium, alia se non moventium, *l. ff
in rem. 6. ff. b. t.*

XVII.

Rerum sese moventium exempla sunt omnia animalia bru-
ta, item homo, hunc si vindicaturus quis sit, nomen ejus indica-
re tenetur, & si plures forte ejusdem nominis extiterint, ætas adje-
cta ipsum ab alijs distinguet. E.g. Stichus servus impubes, quem Se-
jus possidet, meus est: Si verò nomen ejus ignoretur, demonstra-
ri oportet, veluti qui ex illa hæreditate ad me pervenit, vel ex illa
ancilla natus est, *d. l. si in rem 6 h. t.*

XVIII.

Bruta animalia vindicans genus & sexum allegare debet, ali-
às enim haud percipi poterit, quodnam sit animal, quod peti-
tur, ut taurus, vacca, agnus, vervex, caper, quem Titius possi-
det meus est: quo in loco etiam hoc notandum venit, quod color
adjungendus sit, idq; propterea, quia hæc animalia non semper
uno eodemq; colore prædita sunt, *arg. l. 6. b. t.*

XIX.

Res mobiles sese non moventes si vindicaturus sis, observan-
dum erit, an specie constant, an quantitate, hæc in jure dicuntur
pondere

17

pondere, numero, & mensura constare; Si materia rudis pondere constans petatur, sufficit materiam & pondus dixisse, ut auri pondo tot, argenti pondo tot, aut massam auream, vel argenteam tanti ponderis. Si materia facta & signata i. e. pecunia, numerum & speciem nummorum, ut puta, aureos nummos, taleros tot, vel quod idem est, in pecunia aurea tot florenos in pecunia argentea tot. Si mensuram constat, speciem & mensuram dicere oportet: ut, frumenti modios viginti, vini tot amphoras, tot dolia, *hac in d. l. 6. ff. h. t. l. in actione 19. de furtu.* Sed quoniam vina non sunt unius coloris, & quo colore sint ad rem multum refert, idcirco ut in vestimentis, *d. l. 6.* Sic & in vino colorem adjicere oportebit, utrum rubrum sit, an album; sin album, an Rhenanum vel Gallicum, *Donel. com. 20. cap. 4. pag. 420.*

XX.

Specie res ceterarum omnes constant, harum aliam speciem a natura habent, aliam ab hominum artificio & manu: Illarum exempla sunt lignum, lapis, in his speciem designare oportebit, & quantitatem, ut dicat petitor lapidem illius quantitatis, sed quoniam certa genera lapidum inveniuntur, quorum aliud alio praestat, in his etiam addita differentia genus distinguere conveniet, ut certam speciem efficiamus.

XXI.

Quae ab hominum artificio speciem habent: ut lanx, discus, patera, vestimenta, lectus, fulcrum. In lance, disco, patera & similibus placet dici debere speciem, materiam & pondus, ut pateram auream tanti ponderis *l. 1. §. Si quis argentum 40. ff. depositi*, utrum autem pura sit, an scaelata, lanx quadrata, an rotunda, dici non est necesse *d. l. 6. ff. h. t.* In vestimentis, species vestis dicenda est & color, de specie traditur in *l. 1. §. si cista 41. ff. depositi*. de colore in *d. l. 6. ff. h. t.* in quo tamen hoc notandum, ut si juret petitor se pro certo dicere colorem non posse, remitti ei hujus rei necessitatem debere. *l. in actione 19. §. de veste. 4. ff. de furt. Donel. d. loco.*

XXII.

Res immobiles sive soli, puta fundus, domus &c. si petantur, nomen si quod habent, & ubi locorum sitae sint allegasse satis est. *d. l. 6. in fin. ff. h. t.*

XXIII. His

XXIII.

His itaq; pro qualitate cuiusq; rei in iudicium deductis, actor se dominum declarari, sibiq; rem suam cum omni causa, *ut sb. 12.* dictum est, ab adversario restitui petat: causa a. appellatione omnes fructus, seu omne id intelligimus, quod habuisset actor, si eo tempore, quo iudicium accipiebatur, restituta illi res fuisset, *l. 20. in med. ff. h. t.* vel quod idem est quicquid causam habuit proveniendi quovis modo ex re aliqua. Hi vero fructus vel à bonæ vel malæ fidei possessore petuntur, sed primò loco fructus inter se distinguemus, postea quosnam tam bonæ quam malæ fid. possessor lucretur, videbimus.

XXIV.

Omnes autem fructus vel naturales, vel civiles sunt, *l. si navis 62. ff. h. t.* Illi rursus vel simpliciter tales sunt ita ut ex ipso rei corpore nullâ aut plane exiguâ curâ vel culturâ indigentes proveniant, ut foenum, pomum. &c. *l. 45. de usur.* vel sunt ita naturales, ut labore & industriâ hominum maximè opus habeant, quales sunt segetes, uvæ, foetus pecundum, frumentum, quod non absq; cultura agri & satione fructus fert: hi vulgò dicuntur industriales.

XXV.

Civiles fructus sunt, qui jure à nobis percipiuntur non ex ipso rei corpore, sed alia causa provenientes, ut usuræ, pensio, &c. *l. 19. pr. in fin. & l. prædiorum 36. ff. de Usurâ jun. l. 62. pr. h. t.*

XXVI.

Altera fructuum divisio est hæc; quidam sunt pendentes, quidam percepti, quidam percipiendi. Pendentes ideò dicuntur, quod à corpore, vel re, unde provenerunt separati nondum sint, sed pars fundi censeantur. *l. fructus pendentes 44. ff. h. t. l. si pendentes. 27. ff. de usufructu.* Percepti dicuntur dupliciter 1. simplici separatione à subjecto seu agro, quando scilicet non perfectè percepti sunt, sed capti percipi, ut terrâ se non amplius contineant, veluti si segetes demessæ sunt, si uvæ lectæ: nondum autem grana frumenti excussa sunt, vel vinum factum est, *l. 78. h. t.* 2. Ulteriori aliquo facto veluti avectione, collectione in horreum, vel expressione vini ex uvis: Et ita percepti fructus rectè ex *d. l. 78. h. t.* dicuntur.

17
tur coacti, distinguunturq; expressè à prioribus in *l. 25. §. 1. in fin. de usur. l. 13. in fin. Quib. mod. usuf. amit.*

XXVII.

Suntq; porro percepti fructus alij extantes, alij consumpti: percipiendi verò sunt, quos possessor honestè percipere potuit, & non fecit, sed neglexit, *l. 33. h. t. §. 2. ver: Illorum autem. Inst. de off. jud.*

XXVIII.

Præmissâ divisione fructuum, de illorum restitutione pauca adjungemus, eos autem vel bonæ, vel malæ fidei possessor restituere tenetur. Ad bonæ fidei possessorem quod attinet, sciendum est, eum statim cognitâ re alienâ, malæ fidei possessori comparari, *l. sed si lege commissoria. 25. §. si ante litem. 7. ff. de hered. pet. & ab eo tempore ad universos indistinctè fructus restituendos teneri, l. 23. §. tamdiu 1. l. 40. l. 48. §. in contrarium. 1. ff. d. A. R. d. l. 26. in fin. ff. h. t.*

XXIX.

Hic duo nobis occurrunt dubia, primum est, an hæres malæ fidei possessoris ignarus damnari & ipse ut malæ fidei possessor debeat; ubi negantium partes suscipimus, *arg. l. 48. §. 1. l. 40. de acq. rer. dom.*

XXX.

Alterum est hoc, quomodo ratio habenda sit fructuum hominis, qui petebatur, mortui: ad quod distinguendo respondemus. Nam aut dolo vel culpâ possessoris interveniente mortuus est: quo casu fructuum ratio haberi debet, quousq; haberetur, si mortuus non fuisset, *l. 33. ff. h. t.* aut absq; dolo vel culpa possessoris, quo casu ratio fructuum habenda duntaxat, quoad vixit, *l. penult. ff. h. t.*

XXXI.

Antequam igitur rem alterius esse perceperit, & litem contestatus sit bonæ fidei possessor, tam naturales, quam industriales, quos consumpsit, suos facit pleno jure & cum effectu,

B

ne

ne de ijs teneatur, l. *bonæ fid.* 48. ff. de. A. R. d. l. 40. in fin. eod. l. 1. §. 1. C. de *hæred. per. jun.* l. 4. §. 19. de *usur. & usucap.* §. 35. *Inst. de rer. divis.* §. 2. vers. *si verò bonæ fidei* *Inst. de of. jud.* Naturales verò perceptos, & nondum consumptos suos non facit, de quo casu loquitur, l. *fructus percipiendo.* 45. in fin. de *usur.*

XXXII.

Fructus perceptos industriales, i. e. quos culturâ & curâ *§. si quis à non dom.* 36. *Inst. de rer. div.* diligentia & operâ d. l. *bonæ fid.* 48. ff. *h. t.* factôq; suo percepit, d. l. *fructus percipiendo.* 45. ff. de *usur.* etiam simulatq; à solo separati sunt, d. l. 48. d. t. non attento, à quo separati sint, satis est enim, ut quoquo modo à solo separati fuerint, l. *qui scit* 25. §. 1. ff. de *usur.* si non sunt consumpti, facit quidem suos, ita. ut eorum dominus fiat proprietate & usufructu, sed revocabiliter, h. e. interim saltem suos eos facit, dum res non evincitur & vindicatur. Hoc enim quando fit, extantes domino unâ cum fundo evictio restituendi sunt. d. l. *bonæ* 48. pr. ibi: *interim suos facit.* de *acq. rer. dom.* l. 22. C. de *rei vind. arg.* l. 4. §. 2. fin. *reg.* Verùm, ut hoc addam, disputatio hæc & distinctio de fructibus magis in subtilitate quadam consistere videtur, quàm alicujus esse effectus: siquidem constat, industriales juxta ac naturales extantes restituendos esse à bonæ fid. possessore, & contrâ consumptos minimè, d. l. 22. C. *h. t.* §. 2. *cir. fin.* *Inst. de of. jud.*

XXXIII.

Fructus verò naturales & industriales pendentes l. *fructus pendentes* 44. l. 25. de *usur.* sine dubio restituet, nullâ adhibitâ differentiâ, titulum habeat lucrativum, an onerosum, l. *fructus percip.* ff. 45. de *usur.*

XXXIV.

Hic in dubium nobis hæc quæstio vocatur, an possessor bonæ fidei instantia judicij, lapsu temporis precepta, postea verò revocata, fructus à tempore primùm litis contestatæ, an verò ex eo tempore demum, quo lis interrupta resuscitata est, præstare teneatur? nobis salvâ aliorum sententiâ magis arridet, quod non à posteriori litis contestatæ tempore, sed priori percepti fructus

176
Aus repeti possint, per l. nemo 10. C. de acquiren. & retin. poss.
l. fin. C. de præscript. 30 vel 40. ann. l. fiscus in questione ff. de jure
fisci. l. sed etsi lege. §. si ante ff. de pet. hered. l. 1. C. de præscript.
longi. temp.

XXXV.

Malæ fidei possessor, sive titulum habeat, sive non, l. 33. l.
62. ff. h. t. l. 1. in fin. C. de hered. pet. §. 2. Inst. de of. jud. omnes
tam naturales, quam industriales, & civiles, nec refert, num extent
l. 7. ff. h. t. an consumpti, vel percepti sint, vel ante, vel post
litem contestatam, vel non sint percepti, modò percipi potue-
runt, (in quo ratio habetur petitoris, non possessoris, l. 62. §. ult.
ff. h. t. l. cum servus. 39. §. 1. ff. de legat. 1. l. 4. C. unde vi. C.
gravis X. de rest. spolilat.) restituere tenetur, l. 22. l. C. h. t. 3. C.
de cond. ex leg. & sin. caus. l. 4. in fin. C. de crim. expil. hered.

XXXVI.

Sed non omnes hos fructus una hæc actione consequi potest
petitor, extantes namq; vindicatione, consumptos conditione,
l. malæ fide, 3. C. de cond. ex lege, l. si pignore, 22. ff. de pignorat. act.
Post litem autem contestatam perceptos ut & percipiendos officio
judicis acquirit, §. etsi in rem. 2. v. illorum. de offic. jud. l. qui resti-
tuere. 68. ff. h. t.

XXXVII.

Cæterum, cum id tantum fructuum nomine contineatur,
quod deductis impensis super est, operæ pretium esse maximè duci-
mus, ut hic quoq; inquiramus, quasnam impensas, quibusq; re-
memedijs sibi tam bonæ, quam malæ fidei possessor retinere queat,
quâ in re iterum nobis opus est divisione quâdam impensarum:
sunt enim vel necessariae, vel utiles, vel voluptuariae, l. 1. ff. de im-
pensis in res dot. fact. l. 79. de V sig.

XXXVIII.

Necessariae impensæ, desinente Paulo, sunt, quæ sine interitu,
vel etiam detrimento rei abesse nequeunt, l. 1. §. 1. l. 14. ff. de im-
pensis in res. dot. fact. l. 5. & seq. ff. qui pot. in pign. 6. l. 19. pr. de
V. sig. quales sunt, quæ fructuum quarendorum colli-

gendorumq; causa fiunt, *l. ult. ff. de impens in res dot. fact.* Item
quæ fiunt ædificiorum reficiendorû gratia, aut sine culpa posses-
soris collapsorum restituendorum: novorum ædificiorum ne-
cessariò extruendorum, *l. divortio. 7. §. impendi. 16. ff. solut. matrim.*
Sed hæ impensæ etiam utiles dicuntur eo quod utile est domino
rem his impensis servari, *l. utiles a. 39. ff. de pet. hered.*

XXXIX.

Utiles sunt, quæ quidem abesse possunt sine interitu vel detri-
mento rei, faciendæ tamen sunt, ut melior & utilior res reddatur,
d. l. impensa. 79. §. 1. ff. de v. sig. l. 5. §. fin. ff. de impensis in res dot.
fact. huiusmodi sunt quæ passinatione arbusi ultra quam necesse
fuit, doctrinæ puerorum, pistrino & horreo insulæ adjecto im-
penduntur, *d. l. 79. de v. sig.*

XL.

Voluptuariæ sunt, quæ neq; exigente necessitate neq; utilita-
te, solius voluptatis ergò factæ sunt, quales sunt quæ speciem
domini taxat ornant, non etiam fructum augent, ut sunt viridaria,
aquæ salientes, incrustationes, loricationes, picturæ, &c. *d. l. 79.*
§. 2. ff. d. t.

XLI.

Hactenus de divisione impensarum, nunc de remedijs, qui-
bus servantur, nobis dicendum est. Servare potest eas succum-
bens vel retentione rei per exceptionem doli, vel deductione ope-
ris facti.

XLII.

Per doli exceptionem tam bonæ, quam malæ fidei posses-
sor necessarias impensas recuperare potest, *l. 48. ff. h. t. l. 5.*
C. cod. dummodo malæ fidei possessor nec vi, nec furto illius
rei possessionem adeptus fuerit. l. 1. C. de infantib. expositis. l.
13. de cond. furt. Utiles verò tantùm hoc remedio bonæ fidei pos-
sessor, non malæ fid. consequitur, *37. ff. h. t. §. 30. in fin. Inst. de*
rer. div. l. adco. 7. §. ex diverso. 12. ff. de acquirend. rem dom.
Quia mal. fid. possessor utiles impensas tollere saltem potest re-
ipsâ salvâ. Quod, jus tollendi scilicet, longè distat à priori, nempe
deducendi, Deducere enim hîc significat jure exceptionis & tam-
diu

17

diu retinere rem, donec impensarum aestimatio preestetur. Tollendi verò jus non tribuit retentionem, aut exceptionem, sed saltè salvà re petità auferre permittit, quod impensum est. Voluptuarias quoq; bonæ fidei possessor, si separationem recipiant, & dominus permitttere nolit tolli eas remedio exceptionis deducit, *l. pro voluptuarijs. 9. ff. de impens. in res dot. l. in fundo. 38. ff. h. t.* Mal. fid. possessori potestas saltem est tollere impensas voluptuarias, si sine detrimento ipsius rei tolli possunt, *l. 39. in fin. de pet. hered.*

XLIII.

Restat jam secundum remedium, deductio scilicet operis facti, quâ opus factum utile, & voluptuosum, si absq; dispendio & læsione rei tolli possit, malæ fidei possessor deducit. *l. Julianus 37. ff. h. t. l. domum. in fin. C. eod. l. unic. §. taceat in ea. v. quod. si voluptu. C. de rei ux. act.* Sed hoc cum malæ fidei possessori proficit, multo magis etiam proderit bonæ fidei possessori, ad consequendum tam utiles, quam voluptuarias impensas, si dominus pretium expensarum solvere vel nolit, vel non possit. *l. pro volupt. 9. ff. de impen. in res dot. l. fin. a. 27. §. ult. v. nisi tamen paratus & l. 38. ff. h. t.*

XLIV.

Ad formam quoq; alicujus actionis, teste *Old. cl. 3. act. 2.* pertinet, considerare quonam in loco exerceri debeat. Nobis igitur circa nostram actionem animadvertendum est, quod actori concessa sit electio: an in loco, ubi domicilium habet possessor, vel rei sitæ experiri malit, per *l. ult. C. ubi in rem act. exer. deb. c. ult. Ext. de for. comp.*

XLV.

Finis in eo versatur, ut suum cuiq; restituatur.

XLVI.

Effectus est ut impletâ approbatâq; actoris intentione, feratur sententia definitiva litis, quâ ad restituendum, & quidem contestim reus compellitur, nisi ex probabili causa iudex dilationem largiatur, *§. 2. Inst. de offic. jud.* Quo tamen casu caveat reus super aestimatione, si intra tempus datum promissioni de restituendo non satisfecerit, *d. §. 2.*

B 3

VLVII. Quod

XLVII.

Quod si reus iussus restituere rem, non pareat, contendens, se non posse restituere, si quidem habeat rem, per ministros illa ipsi contumaci auferitur, & traditur possessori. Sin autem non potest restituere, *l. 68 pr. h. t.* iudici discernendum erit, utrum dolo contumax sit, seu an dolo fecit, quo minus restituere possit, an alia qualibet culpa: ob dolum condemnatur quanti actor per iuramentum in litem rem aestimaverit, *d. l. 68 ff. h. t.* ob culpam & negligentiam non actori permittitur aestimatio, sed iudici, *l. videamus. 4. §. ult. l. in action. §. S. sed in his. 3. ff. de in litem jurand.*

XLVIII.

Affinis est actio in rem Emphyteuticaria, qua ij, qui in perpetuum aut longum tempus fundum fruendum conduxerunt, quamvis non sint veri domini, utuntur tam adversus quemvis possessorem, quam adversus ipsum dominum, si modo vectigal intra biennium in Ecclesiasticis, *Nov. 7. c. 3. §. 2.* intra triennium, verò in rebus temporalibus, *l. 2. C. de jur. empb. solutum sit, l. 1. §. 2. ff. §. l. 2. C. si ager vectigal.*

XLIX.

Publiciana in rem actio, Recissoria, item actio Pauliana, non inepte hinc tanquam affines apponi posse videntur. Sic etiam feudalis rei vindicatio affinitatem cum hac habet, quæ is cui res in feudum data & tradita est, feudum suum esse ait, & hoc modo rem feudalem sibi vindicat. *c. un. pr. vers. Rei autem, de re alien. fac.*

L.

Contrariantur huic actioni exceptio domini, si reus convenit se dominum esse dicat, exceptio præscriptionis, quæ dupliciter proponitur: uno modo, cum reus se rem præscripsisse dicit, quo casu sufficiunt 10. inter præsentis, viginti inter absentes anni, si res immobilis sit, *l. hereditatis. 7. C. de pet. her. tot. tit. C. de long temp. præscript.* Altero modo cum non allegat usucapionem rei, forte, quia propter malam fidem usucapere non potuit, dicit tamen actioni præscriptum esse, quo casu possessio 30. annorum objicienda erit, *l. 3. C. de præscript. 30. an. Wesembec. in parat. ff. de rei vin.*

LI. Po-

Potest etiam reus excipere dicendo rem talem esse, ut in commercio hominum non cadat, se tamen administrationem habere, si scilicet res sit sacra, vel religiosa, vel sancta §. *Sacra. Inst. de rer. divis.* Excipit quoque reus, si dicat se rem non deteriore auctori obtulisse, quam accipere noluit, quoniam videtur rem pro derelicto habere §. *ult. Inst. d. t. l. 1. & ult. ff. pro derelicto.*

Utiliter præterea excipit reus, si rem petitam se possidere neget *l. qui petitorio. 36. ff. h. t. l. si ante. 9. de except. rei jud.* Sed cum exceptiones rei vindicationi multæ adhuc, & variæ objici possint, nobis hæc vice præcipuas adduxisse placuit.

Sit Deo Laus & Gloria.

In honorem

DNI. RESPONDENTIS.



Uomodo quisq. suas à possessore reposcat

Res, atq. ritè vindicet :

*Hoc, BERNHARDE, doces, tradisq. per
aspera tendens*

Ad astra, flos Aonidum.

Perge sacras leges, sic jura resolvere perge,

Et veritatem vindica :

Florebis, nomenq. tuum Themis alma malignis

A moribus tuebitur :

Phœbus ab interitu, dirâ vel morte sodalem


Te vindicabit strenuè.

Nam dignos & laude viros, & juris amantes

Non Musa permittit mori.

Scribebat.

PRÆSES.



Præstantissimo & Literatissimo

DN. RESPONDENTI Amico suo
singulari de Rei Vindicatione
publicè differenti


VIndicias hodiè contra jus fasq; fidemque
Causidicùm rabies invidiosa petit!
Obsequitur iudex malè doctus jura petitis:
Hinc illæ Legum, & Justitiæ lachrymæ!
Non fers hæc, FAULLI, qui Legum ænigmata solvens
Vindicias juris cum ratione petis.
Sic age pertendas: Leges tibi vindica, & illæ
Te sibi: sic punctum protinus omne feres.

f.


JOHANNES Neubauer/ J. U. C.







the scale towards document



quando quis obscuro loco natus, fraudu-
 tatione, nobili alicui familiæ se infere-
 re, sub titulo cognationis ab aliis, vel ejus-
 dem familiæ, nobilibus pecuniam, vel aliud
 dicet, vel alio modo eosdem fallat.
 Anno 1615. vagabundus quidam homo cõ-
 quelem Phocam, Palatinum Constanti-
 cupans, & ex familia illustri Græcorum
 jactans, adjumeto intercessionũ, quas
 impetraverat, in plurimorum prin-
 cipalibus, & civitatibus ingentem pecuniæ
 & emendicavit; cui postea, ob delicti
 poenam dictaverunt Scabini Lipsien-
 ses, anno 1629. Mens. Martio fœminæ cui-
 dam, ex nobili familia se natam & bonis
 mutato nomine à Nobilibus pecuni-
 am poenam temporalis relegationis in-
 curavit. *Carpzov. prax. criminal. part. 2.*
 sequenti *num. 41.* adducit exem-
 plum assumpto nomine Advocati cujus-
 dam publicè jactaverat, quem postea
 iudicæ Senatus virgis coedi, & exilio
 condempnit & huc exempla relata à *Valer.*

XVI.

us est, quando quis, personam suam pla-
 nentem suam mutat, & se pro alio suppo-
 nit, ut apud Historicos aliosq; scripto-
 rum inter quæ notissimum est illud Plau-
 ti in forma Amphitruonis, adversus
 nocte quadam, velut è bello rever-
 sus concubuit. Plura vide apud *Johannem*

B 3

Cor. 4